

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Cursus studiorum monasticorum, sive series sublimium disciplinarium - Cod. Ettenheim-Münster 99-110

Theologica universa - Ettenheim-Münster 108 - Tom. II

Cartier, Gallus

[S.l.], 1795

Caput quartum

[urn:nbn:de:bsz:31-111018](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-111018)

Ergo nec Inmarnatio fuit necessaria, p.

Resp. neg. cons. Ratio, quia alia propter mortem opera Christi fuerunt pretii infiniti, quippe quae à personâ infinita Sanctitatis processerint: unde eorum meritum fuit aequale gravitati injuria, quâ creatura per peccatum Creatorem affecit: Hincque sequitur, mortem non fuisse necessariam, nisi quia Christus alia sua opera ad completam hominis redemptionem non ordinavit.

Caput Quartum.

De Motivò Incarnationis.

Motivum est id, quod operantem movet ad agendum. Operans autem movetur vel à clientum meritis, vel à fine, quem sibi proponit. Quaerunt ergo hii Theologi, an aliqua creaturarum merita Incarnationem processerint; item, ob quem finem Verbum carnem induerit. 1º igitur agendum nobis de causâ meritoria; 2º. de causâ finali Incarnationis.

S. Primus.

De causâ meritoria Incarnationis.

Meritum dividitur in meritum de condigno, et in meritum de congruo. Primum est illud, cui strictò jure merces debetur, ita ut sine injuria negari non possit: alterum est illud, cui primum conceditur quidem, sed ita, ut absolute negari possit, et etiam actu aliquando denegetur. Iusti de condigno, prout suo loco dicitur, meren-

142 tur augmentum gratie Sanctificantis, et vitam aeternam, de congruo vero res alias auxilia actualia, quibus ad superandas tentationes indigent.

Porro Inuarnatio duobus modis potest considerari, nimirum secundum substantiam et secundum varias illius circumstantias. Priori modo considerata, dicit hypostaticam Verbi cum humana natura unionem; posteriori vero, dicit locum, tempus, parentes, ex quibus Christus prodit.

137. Quae sunt hic Theologi, an et quorum meritis Inuarnatio fuerit concessa. Si autem, quorum meritis fingi potest Inuarnationem fuisse concessam, sunt humanitas Christi, veteres Patriarchae, et Beatissima Virgo Maria.

1.º igitur dicendum videtur, humanitatem Christi nec de condigno, nec de congruo meruisse hypostaticam cum Verbo unionem. Quae aperte declarant Scripturae, ut quae non meritis premio duntaxat, sed divinae clementiae et liberalitati Inuarnationem unice tribuant. Ioan. 3. v. 1. Sic Deus dilexit mundum, ut p. ad Tit. 2. v. 4. Benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiae.... sed secundum misericordiam hominum saluos nos fecit.

Suffragatur S. Augustinus, qui lib. de praedestinatione sanct. c. 15. et lib. de concept. et gratia, c. 11. aperte idem docet. Hic, id est in mysterio Inuarnationis, inquit Enchiridii c. 39. granditer, et evidenter Dei gratia commendatur. Quia enim natura humana in homine Christo meruit, ut in unitatem personae unice Filii Dei singulariter esset assumpta.

143
Qua bona voluntas, cuius boni propositi studi-
um, quae bona opera praeeperunt, quibus me-
retur iste homo una fieri persona cum
Deo?

Accedit manifesta ratio. Ut huma-
nitas Christi, sive de condignō sive de con-
gruō, meruerit hyrostaticam cum Verbo
unionem: necesse fuit, ut aliquando exti-
terit ante illam unionem: nam causa debet
esse prior effectu. Atqui humanitas Christi
nusquam fuit ante hyrostaticam cum Verbo
unionem: liquidem in primō instanti sua
conceptionis unita fuit cum Verbo, ut fides
docet adversus Photium et Nestorium. Ergo.

Nec officit, quod Apoc. 5. v. 12. de
Christo dicatur: Dignus est Agnus, qui occisus
est, accipere virtutem et divinitatem. Nam
hic divinitas usurpatur pro manifestatione
divinitatis; hoc est, pro gloriā externā, quae
ex cultu et adoratione hominum in Deum
resultat, de qua S. Paulus, Philipp. 2. v. 8.
dicit: Humiliavit semetipsum, propter
quod Deus exaltavit illum, et donavit illi
nomen, quod est super omne nomen.

Necque etiam obest illud Psalm. 44.
v. 8. Dilexisti iustitiam, et odisti iniquitatem,
et odisti iniquitatem tuam; propterea unxit te
Deus Deus tuus oleo castitiae pro consortibus
tuis. Nam 1.° Ista unctio, de qua Saltes, non
est unio humanitatis cum Verbo, prout aliqui
contendunt, sed à multis Patribus intelli-
gitur de gloriā, quae Christo in resurrectio-
ne concessa est in mercedem amoris, quo,
dum viveret, flagrarat in iustitiam.
2.° Si tamen unctio illa de unione hyrosta-
tica intelligatur, tunc sensus est, Christum
unctum fuisse gratiā et divinitate ut di-

144. ligeret justitiam; ita ut dilectio justitia sit
finis unionis, non ipsius causa meritoria.
Particula ergo propterea ibi idem signifi-
cat ac in hunc finem, ad hoc; nec posteri-
tum tempus spectat, sed futurum.

138. 2^o. Dicendum videtur, quod, quam-
vis Veteres Patriarchae nullâ ratione mem-
erint Incarnationem sumptam secundum
Substantiam, nihilominus tamen aliquas
Incarnationis circumstantias saltem de
congruô meruerint. ^{innum} habetur ex di-
ctis, quibus probavimus nequidem Christum
sive ejus humanitatem suam unionem hy-
postaticam meruisse; omne autem meri-
tum humanum ex Christo vim et efficaciam
trahit, undè cum nec ipse Substantiam In-
carnationis meruerit, sequitur, nec quo-
que Veteres illam meruisse. 2^o Dum

deduci potest ex eo, quod 1^o Abraham sua
promptâ obedientiâ hanc gratiam merue-
rit, ut ex semine suo Messias nasceretur,
Gen. 22. v. 18. Benedicentur in semine tuo
omnes gentes, quia obedisti voci meo.

2^o. David Psal. 131. v. 11. hoc ait: Juravit Do-
minus David veritatem, et non frustrabi-
tur eam: de fructu ventris tui ponam su-
per sedem tuam. 3^o Daniel suis Desi-
deriis ac votis meruit contrahi tempus ad-
ventus Messie: Septuaginta hebdomades
abbreviatae sunt, ait Angelus, c. 9. v. 24. su-
per populum tuum. Meritum autem hoc
prout dictum, de congruô duntaxat fuit,
non de condignô; quia nullum Deum inter
et homines pactum intercessit.

139. 3^o. Dicendum videtur, quod Virgo
Maria nec de condignô nec de congruô me-

merit Divinam maternitatem. Ratio est, ^{145.}
quia Verbi incarnati merita, futura fue-
runt, antequam Virgo Maria quidquam
mereri posset. Ergo futura erat ejusdem
Dei incarnati Mater, antequam quidquam
posset mereri: non enim realiter futu-
rum fuit Verbum Incarnatum nisi ex
hae matre in particulari.

Nec obest, quod de B.V. Maria canat
Ecclesia, quod Dominum omnium portare
meruerit. Id enim metaphoricè et impro-
priè huius debet, non propriè. Metapho-
ricè ergo B.V. Maria meruit portare Do-
minum, quia eum consecuta est sanctita-
tis ac puritatis gradum, quo idonea, quan-
tum tamen id in creaturâ fieri potest, Chris-
to coniungendo facta est.

S. Secundus.

140.

De causâ finali Incarnationis.

Finem Incarnationis fuisse libera-
tionem hominis à peccatò fide certum
tenemus contra Pelagianos, et, ut refert
S. Bernardus, Ep. 190. c. 5. contra Abaelar-
dum. Pelagiani negabant Christum
in hunc finem venisse, ut homines à labe
originali mundaret, quos innocentes nati
affirmabant, contra expressam hanc Apos-
toli sententiam, Rom. 5. v. 2. In quo, Ada-
mò, omnes peccaverunt. Non alium ergò
Incarnationis finem agnoscabant, quam
ut Christus exemplo suo, doctrinâ, mira-
culis, homines erudiret, ac promptiores
redderet ad vitam aeternam capiendam.
Abaelardus etiam docere visus est, Christum
non venisse, ut hominem à captivitate
diaboli liberaret. At ut nobis videtur, ait,

5. 69

140. nec Diabolus unquam jus aliquod in homine ha-
buit... nec Filius Dei, ut hominem libera-
ret, carnem assumpsit. contra hos lit

141. Conclusio.

Incarnatio facta fuit ad libe-
randum hominem à peccatō tum Orig-
nali tum actuali.

Prob. 1^o Ex S. Scripturā. Vulnera-
tus est, ait Isaias c. 53. v. 5. De Christo, prop-
ter iniquitates nostras, attritus est propter
scelera nostra. Matth. i. v. 21. Ipse
salvum faciet populum suum à peccatis
eorum. Ibidem c. 18. v. 11. Venit filius ho-
minis salvere quod perierat, inquit de se Chris-
tus. Id etiam habet Paulus i. Timoth. i. v. 15.
Fidelis sermo, inquit, et omni acceptione si-
gnus, quia Christus Jesus venit in hunc
mundum peccatores salvos facere. Et Rom.
8. v. 3. Nam quod impossibile erat Legi, in
quo infirmabatur per carnem, Deus Fili-
um suum mittens in similitudinem car-
nis peccati, et de peccatō damnavit pecca-
tum in carne. Joannes item Apostolus
Ep. i. c. i. v. 7. Sanguis Jesu Christi, ait, enim
dat nos ab omni peccatō. et c. 2. v. 2. Ipse
est propitiatio pro peccatis nostris, non
pro nostris autem tantum, sed etiam pro
totius mundi. Item c. 3. v. 8. In hoc
apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera
Diaboli. Denique Apocal. i. v. 5. Lavit
nos, Christus, à peccatis nostris in sanguine
suo.

Prob. 2^o ex Traditione Conilio-
rum et Patrum. Qui propter nos homi-
nes, inquit de Verbo Incarnatō Conili-
um Nicenum. I. in Symbolo, et propter nos-
tram salutem descendit de coelis, et incar-
natus est, et homo factus. quod repetunt
alia Conilia.

147.
S. Irenaeus, lib. 5. c. 14. Si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset.

S. Athanasius, lib. De Incarnat. pag. 40. Veteris editionis, Nostra causa, inquit occasionem illi descendendi praebuit, et nostra transgressio Verbi Divini humanitatem elicit.

S. Gregorius Nazianzenus, Orat. 36. Qua, inquit, humanitatis à Deo propter nos suscepta causa extitit? Profecto ut nobis salus pararetur.

S. Chrysostomus, Hom. 31. in Matth. ad haec verba, Non veni vocare justos sed peccatores p. Adeo procul abest, inquit, ne peccatores abominetur, ut eorum causa solum se advenisse testetur.

Origenes Hom. 24. in Numeros. Si non fuisset peccatum..... mansisset hoc quod in principio erat Deus Verbum.

Tertullianus, lib. De Carne Christi c. 14. Eadem est ergo causa, ut hominem gestaret Christus: salus hominis fuit causa scilicet ad restituendum, quod perierat.

S. Ambrosius, lib. De Incarnat. c. 6. Didicistis igitur, inquit, quia sacrificium de nostro obtulit. Nam quae erat causa Incarnationis, nisi ut caro, quae peccaverat, per se redimeretur.

S. Augustinus, lib. 1. De peccat. meritis et remis. c. 16. Scribit, Dominum Jesum Christum non aliam ob causam in carne venisse, nisi ut hac dispensatione misericordissima gratis omnes.... vivificaret, salvos faceret, liberaret. Eadem repetit, serm. 174. alias 8. et serm.

670

148 175. alias g. De Verbis Apost. Item in Psal.
140. Si tu o homo, inquit, non dimitteres
Deum, non fieret pro te Deus homo.

S. Leo, Serm. 3. de Pentecoste. Si homo,
inquit, ad imaginem et similitudinem Dei
factus, in sua honore natura mansisset, nec
Diaboli fraude Deceptus, à lege sibi posita
per concupiscentiam Deviasset, Creator mun-
di creatura non fieret.

Verum sat pugnatum auctoritati-
bus circa quæstionem, quam nemo amplius
trahit in controversiam; omnes enim quot-
quot Christiano utuntur nomine, ultro agnos-
cunt, motivum seu causam finalem Incar-
nationis Verbi fuisse humani generis redemptio-
nem et à peccato liberationem.

147. Momentosa tamen, si Superioris placet,
agitari solet hæ Thomistas inter, et Scotistas
controversia; num videlicet ita prævisè ad
liberandum hominem à servitute peccati In-
carnatio Verbi facta fuerit, ut si Adam non
peccasset, minime Christus venisset, adeo ut
motivum totale et adequatum hujus Incar-
nationis fuerit humani generis redemptio, p?
An vero, etsi Adam non peccasset, tamen
Christus venisset, non quidem in carne possi-
bili, sed impossibili duntaxat, hecque hu-
mani generis à peccato liberatio inadæquatus
solummodo finis seu motivum fuerit Incar-
nationis Verbi? Primum asseritur tueri-
tur Thomista; posterius vero Scotista.
Verum miramur, homines graves amare tam
inerta venari. Verbum, ut nos à peccatis
solveret, humanam induisse carnem Scriptu-
rà et Traditione, ut primum ostendimus, adeo-
que fide Divinà docemur; id nobis sufficere
debet, nec quidquam jurare arbitramur, con-

fictō alio rerum ordine, in rem disquirere, quam ^{149.}
nunquam evenisse nequam constat, sed etiam
ultrō suppositā Adami protoparentis nostri
in bonō perseverantiā, utrum ea evenisset,
omnino ignoramus.

Ejusdem fursuris est ea, quae etiam
huc ab aliquibus movetur, an videlicet Chris-
tus principalis venerit propter originale
peccatum, quam propter actualia; et an solo
supposito originali, vel solis actualibus pec-
catis suppositis venisset Christus? Verum
ab his inutilibus et otiosis questionibus, de
quibus nihil habet Scriptura et Traditio,
provisus abstinendum judicamus. Viro Theo-
logo satis est, nosse, quod Christus venerit,
ut peccata nostra sanguine suo expiaret:
Sanguis Jeshu Christi... emundat nos ab omni
peccato, inquit S. Joannes, Ep. i. c. i. v. 7. Et
Joannes Baptista in deserto dicebat: Eccc
Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.
Joan. i. v. 29.

Caput 5^{um}

143.

De Essentiā Incarnationis.

In hujus Tractatus nostri proemio
definivimus Incarnationem, quod sit
Primum Religionis Christianae myste-
rium, quo Verbum Divinum assumpsit
naturam humanam veram et integram,
in unitatem personae, ad redimendum
genus humanum. Quā Definitione
tota illius continetur essentia seu natu-
ra, quae hinc duobus potissimum compre-
henditur, duplici scilicet naturā, Divinā
unā, alterā humanā, et una in Christo